Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2501

Quelle:
Copyright:

vero: *Quia non nulli ignorantes modum conuerſionis. et actum conuerſacionis glorioſiſſimi doctoris beati auguſtini ſingularis mei patris* &c. Plura non addo, cum *Oſſingerus* in *Bibl. Ord.* p. 953. ex *Emm. Leali* adſerat, Libellum lucem adſpexiſſe *Venetiis* 1514. quam tamen Editionem admodum raram eſſe oportet. Finis eſt: *ut ſibi a fidelibus ſuis digne ac laudabiliter ſeruiatur. amen.* Subditur minio: *Compilatus eſt iſte tractatus per fratrem heinricum de almania Sacre theologie digniſſimum profeſſorem ordinis fratrum heremitarum Sancti Auguſtini. Anno domini M°. CCC° XXXIIII. Cui deus ſit propicius nunc et ſemper.* Unde conjicias, eo ſuperſtite *Codicem* deſcriptum fuiſſe.

Fol. 13. p. 2. *Incipiunt collaciones per totum annum.* Id eſt Argumenta ſive Themata ſacrorum Sermonum, nullo tamen temporum ordine ſervato, quamvis initium ducatur a *Dominica prima in aduentu* his verbis: *Veniet deſideratus cunctis gentibus* &c. Fine mutilatae ad Feſta SS. non pertingunt.

DCLVIII.

763 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 131. 8. ſat nitide deſcriptus et coloribus illuſtratus praemiſſo contentorum indice hoc rubro gaudet: *Incipiunt conſtitutiones fratrum ordinis beate dei genitricis marie de monte carmeli.* Diſtributae ſunt in *Partes* V. quarum *Prima* inſcribitur: *Rubrica prima prime partis qualiter reſpondendum ſit querentibus quando et qualiter ordo noſter ſumpſit exordium* &c. Initium: *Cum quidam fratres noſtri ordinis iuniores querentibus a quo uel quando ordo noſter ſumpſit exordium vel quare dicimur fratres dei genitricis et virginis marie de monte carmeli: neſciant ſatisfacere competenter* &c. Itaque prodeunt *Helias* et *Heliſeus* cum ſuis Diſcipulis fulti teſtimonio Libri IV. *Reg.* c. 6. et *Joſephi* cujusdam *Antiocheni* in Libro *de perfecta milicia primitiue eccleſie*, quem obſcurum autorem citari tamen etiam video in *Speculo Ord. FF. Carmelitarum Venetiis* 1507. f. L. V. C. 8. *fol.* 21. p. 2. ubi admiſcetur *Johanni* ſic dicto *Hieroſolymitano de Inſtitutione primorum Monachorum* &c. de quo Opere, uti et de tota Antiquitate *Carmelitani* Ordinis notum eſt, quid cenſeant Eruditi partium ſtudio vacui. *Rubrica* II. enumerantur 24. *Ordinis Provinciae* &c.

Fol. 123. *Incipit commiſſio domini Innocencij pape ſuper modificacione regule fratrum ordinis beatiſſime virginis Marie de monte Carmeli.* In *Speculo* ſuprac. f. 74. p. 2. inſcribitur *Confirmatio regulæ noſtræ per Innocentium quartum*, et init: *Que honorem conditoris omnium* &c. Data dicitur in Cod. *Lugduni anno domini mileſimo quadrageſimo ſexto kalendas ſeptembris*, quod e *Speculo* ſic emenda: *anno domini* M. CC. XLVII.

Fol. 127. p. 2. *Sequitur mitigacio regule fratrum* &c. Initium: *Eugenius epiſcopus* &c. *Romani pontificis prouidentia* &c. Eſt *Eugenii*